DE

ERYSIPELATE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. AUGUSTI A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

SALOMON SAMOSCH

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

M. JOACHIMSTHAL, med. et chir. Dr., med. pract.
E. HENOCH, med. et chir. Dr.
J. SAMOSTZ, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS OPTIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE PAGELLAS

SUMMA QUA PAR EST PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

DE ERYSIPELATE.

Erysipelas in universum nominatur quisque cutis rubor partialis, superficialis, minime circumscriptus, sed diffusus, colore roseo, sub tactu digitorum evanescente, mox autem, tactu sublato, redeunte, tumescentia modica, nec non temperatura adaucta. Quae quidem symptomata originem habere possunt in affectionibus valde diversis. Sunt enim affectiones aut omnino locales, aut universales, aut partibus profundioribus inhaerentes, unde signum in cute animadversum ut malum consensuale tantum apparet. Morbus ipse ejusque symptomata, malum locale et universale, haecce omnia valde confusa therapiam in omni casu eandem provocarunt haud raro ineptam, saepissime noxiam. Rust fuit primus, qui diversas species strictius discreverit. Ponit enim erys. exanthematicum seu verum et erys. sic dictum spurium, quod denuo subdividit, verba faciens de erys. spurio, aut idiopathico, aut symptomatico seu consensuali. Quam divisionem perinde in theoria atque in praxi probatam dehinc omnes receperunt auctores. Dividimus igitur

1. Erys. exanthematicum s. verum (Rust).
2. Erys. spurium s. pseudoerysipelas

a) Pseudoerysipelas idiopathicum (Rust)
erythema idiopathicum (Kluge)
b) pseudoerysipelas symptomaticum s. consensuale (Rust)
erythema symptomaticum s. consensuale (Kluge)

I. ERYSIPELAS EXANTHEMATICUM S. VERUM.

Inhaeret reti vasorum lymphaticorum in superficie cutis.

Prodromi. Symptomata conturbatae digestionis, dysphoria universalis, debilitas, cephalalgia, oppressio in regione ventriculi, anorexia, lingua obtecta, gustus amarus, nausea, vomituritiones, vomitus ipse. Febris sic dicta erysipelacea, quae pulsus frequentia excellit et urina propriae indolis. Est enim urina bilis pigmento tincta, turbida ex atro fusca. Febris plerumque cum horripilatione incipit. Postquam duos vel tres dies duravit, eruptio erysipelatis aut mitigat febrem aut plane tollit.

Erysipelas manifestat sese per ruborem superficialem pallide rubrum, in flavum abeuntem, diffusum, marginibus minime circumscriptum. Sub tactu digitorum evanescit rubor, illico autem, pressu sublato vel diminuto, denuo in conspectum venit. Cutis modice est tumefacta, calida, mollis, splendens. Dolores magis sunt urentes et tendentes quam prementes et pulsantes. Erys. verum minime est fixum, sed sua sponte aut causis externis de loco affecto decedit, aliamque corripit cutis regionem (erys. vagum, erraticum). Interdum ex loco proximum affecto ad partes serpit vicinas, eoque modo omnes oc-

cupat corporis regiones externas (erys. serpens), aut interna aggreditur organa, unde inflammationes cerebri vel pulmonum et pleurae, vel intestinorum, peritonaei et aliorum viscerum oriri possunt.

Decursus. Erysipelas ceterorum exanthematum instar typum observat septem dierum. In casu mitiore ad diem quartum usque floret, quo pallidior facta cutis desquamatur, una cum excretionibus criticis per lotium et sudorem. Nonnunquam diarrhoeam quoque animadvertimus criticam et epistaxin criticam. Interdum desquamatio sine hisce crisibus procedit.

Exitus. 1) In sanationem per resolutionem erysipelatis.

2) In sanationem incompletam.

a. Occurrere potest exsudatio. Tumor nempe apparet oedematosus. Qui exitus saepissime sequitur curationem ineptam, medicaminibus humidis et frigidis in usum vocatis. Attamen, etiamsi in cura non peccaveris, hicce erysipelatis indolis torpidae exitus succedere potest.

b. Exulceratio subsequi potest. Erys. verum nunquam in suppurationem transit, facillime autem rebus adversis in exulcerationem transducitur, qui processus ex superficie ad partes profundiores progreditur, quare nunquam abscessum observamus fluctuantem, sed superficiem exulceratam.

c. Gangraena comparet et ea quidem semper superficialis. Hunc exitum haud raro animadvertimus in epidemiis, quae ex initio jam inclinationem ad talem finem prae se ferunt, neque minus in hominibus cachexia vel dyscrasia laborantibus. Saepius gangraena ex-

tremitatum quam faciei observatur. Erysipelas senile huic exitui valde pronum est.

d. Metastasis insequitur. Erysipelas a cute decedit, et organon internum invadit, unde evadunt meningitis, arachnitis, encephalitis, pleuritis, pneumonia, gastritis, peritonitis, enteritis, nec non convulsiones, paralyses, apoplexia, hydrops ventriculorum, sopor, asthma.

3. In mortem abit. Plerumque hicce exitus metastases excipit, sed producitur quoque exulceratione, gangraena et febri hectica inde pendente.

Aetiologia. Causa praedisponens. Cutis tenera et vulnerabilis, turbationes in systemate venae portarum, bilis nimis irritans, functio hepatis laesa, saburrae accumulatae, propria temperiei constitutio, praesertim calor et frigus subito et saepius mutata, quare certa quaedam anni tempora, aestas et autumnus singularem efficiunt praedispositionem atque saepius erysipelatis epidemiam provocant. Accuratius observantem dispositio individualis non fugit. Tales enim homines res maxime exiguae in discrimen vocant.

Causa occasionalis. Saepissime cutis secretio refrigerio suppressa erysipelatis eruptionem profert. Tum organorum digestionis irritatio, cibi acres, difficiles digestu, e. g. conchae, ostrea, cancri, fungi, spirituosa. Neque pathemata sunt praetereunda, uti ira, aegritudo. Secretiones aut normales aut pathicae suppressae, ut menses, fluxus haemorrhoidalis, denique erysipelas praegressum, quod cum semel adfuit, occasione levissima redit.

Causa efficiens. Auctores hac de re valde dis-

crepant. Galenus (1) sententiam fert, sanguinem calefactum bili flava mixtum ad cutem pervenire. Burserius (2) causam proximam erysipelatis in inflammatione ponit, quae efficiatur, cum sanguinis pars acris nervorum systema et cor et arterias irritet, atque actione febrili excreta in cute deponatur. Recentiores auctores discrimen inter erysipelas atque inflammationem statuere student, atque erysipelas exanthema esse supremam cutis partem occupans putant. Cullen (3) erysipelas exanthematibus febrilibus adnumerat, idemque erys. discernit ab erythemate locali. Richter (4) erysipelas nominat inflammationem spuriam. Fuchs genus erysipelas una cum erythemate ac scarlatina nec non rubeolis inter erysipelatoses numerat, sub classe dermexantheseon. Struve classe dermophlegmasiae extensae v. maculatae erysipelas, dermophlogosin, erythema, scarlatinam et roseolam complectitur. Schoenlein erysipelas cum scarlatina, urticaria et variolis familia erysipelacearum comprehendit. Ea est indoles hujus familiae (secundum Schoenlein), ut magna electricitatis copia eliminetur, cum in rheumatismis contra causa proxima sit impedimentum formationis electricitatis, cute isolatore reddita. Forma exanthematis est figura ele-

---

(1) Galen. ad Glaucon de medendi methodo. Lib. II. cap. I.

(2) Burserius; institut. med. pract. Vol. II., cap. II.. §. 24.

(3) Cullen, Anfangsgründe d. pract. Arzneikunde. Bd. I., S. 325.

(4) Anfangsgründe der Wundarzneikunde. Bd. I. S. 99. Göttg. 787.

etrica, figurarum chladinianarum et lichtenbergianarum instar. Simul nascitur productum peculiare reactionis calicae in superficie corporis. Systematis portarum affectiones in hoc morbo magni sunt momenti.

Auctore **Rust** erysipelas nostris temporibus exanthema habetur, quod multis modis ab inflammatione differat.

Notae, quibus discernuntur, hae sunt:

1. Erysipelati symptomata universalia praecedunt, quae post eruptionem mitigantur. Inflammationem symptomata reactionis sequuntur, eamque in decursu comitantur.

2. Locus erysipelatis ut in omnibus exanthematibus est superficialis cutis pars. Inflammatio (excepto erythemate) partes profundiores corripit.

3. Rubor in erysipelate pallidus, superficialis in flavum abiens, diffusus, in inflammatione magis fuscus, intensus, circumscriptus.

4. Dolor in erysipelate magis urens et pungens est, cum (auctore **Schoenlein**) nervi electricitatem sese evolventem percipiant, in inflammatione magis premens, pulsans, quod nervi pulsatione arteriarum afficiantur.

5. Erysipelas nunquam in suppurationem abit, quod persaepe fit in inflammatione.

6. Erys. est vagum, inflammatio fixa.

7. Decursus erysipelatis certum observat typum, nec vero in inflammatione.

8. Erys. desquamatione finitur simul cum crisibus universalibus, quod non semper fit in inflammatione.

9. Erys. neque remedia frigida, neque humida in

ipso loco affecto adhibita fert, cum contra inflammatio usu eorum minuitur.

Haud raro vero erys. cum inflammatione cutis conjungitur (erys. phlegmonodes), ubi rubor fuscus, tumor durus fit et dolores prementes, pulsantes intrant. Hac in conditione suppuratio quoque oriri potest.

Diversitas erysipelatis secundum sedem.

1. Erys. faciei forma est usitatissima. Aut caput totum occupat, aut faciem, aut partem ejus dimidiam, aut aures, nasum corripit, aut magis nucham et collum invehit. Interdum ab externa auris parte ad internam ejusque meatus transit, nonnunquam fauces et tubam Eustachii corripit. Symptomata universalia tum vehementiora sunt ob cerebri vicinitatem, quodque metastasis huic organo imminet. Accedunt saepe dolores capitis, phantasiae, deliria, febris inflammatoria, status soporosus et apoplecticus.

2. Erys. oculi sedem habet in cute palpebrarum, interdum quoque conjunctivam oculi invadit. Saepius unum tantum oculum invehit, utramque vero ejus palpebram. Initio in marginibus palpebrarum apparet, mox vero in frontem et genam sese extendit. Tumor in tarsorum marginibus est vesicae instar, oedematosus. Oculi secreta et excreta aucta sunt, mucus glandulis Meibomianis secretus in margine palpebrarum accumulatur, tumor paulatim adeo crescit, ut aegrotus et oculum aperire nequeat, et lacrymarum fluxus impeditus sit. Quae symptomata ad septimum vel nonum usque diem increscunt; tum desquamatio furfuracea intrat, et tumescentia palpebrarum oedematosa relinquitur. Ad quem exitum homines cachectici valde inclinant.

3. Erys. mammarum. Saepius observatur tempore graviditatis et lactationis. Modo unam, modo utramque corripit mammam adjunctis doloribus vehementibus, et saepissime lactis secretio turbata est. Stasis lactis et mammae irritatio inde subsequitur; accedit inflammatio, hocque modo cum erysipelate mastitis sese conjungere potest.

4. Erys. pedum. Saepe homines invadit, qui vel stantes negotia obeunt, vel qui ipsis pedibus in negotiis utuntur. Neque minus in hominibus cachecticis, male nutritis, potatoribus talibusque apparet, qui impetiginibus, ulceribus, hydrope laborant. Saepius erys. inferiorem partem aggreditur, pedem, malleoli regionem, suram, rarius in femore conspicitur. Interdum glandulae inguinales sympathice tument. Haec erysipelatis species haud raro in gangraenam transgreditur.

Praeter has partes, de quibus nunc locuti sumus, erys. in unaquaque cutis parte erumpere potest. Erys. genitalium femininorum haud raro supra membranam mucosam ad utrum usque sese extendit.

Diversae erysipelatis formae.

1. Erys. laeve s. laevigatum. Haec forma nullam praebet cutis prominentiam, sed maxime inclinat ad metastases in organa interna faciendas, qua in re exanthemati laevi scarlatinae maxime respondet. Febris hanc formam comitans saepissime erethicae est indolis, quare erys. benignum appellatum est.

2. Erys. bullosum, ubi vesicae magnitudine grani miliaris ad nucis juglandis usque ambitum apparent. Vesicae sunt irregulares, initio secretae, dein saepe confluunt et magnitudinem ovi gallinacei assequuntur. Col-

labuntur aut dehiscunt et massam liquidam, pellucidam colore flavescente emittunt, quae indurescit crustas formans coloris succini, post fusci, quae post quinque vel sex dies detruduntur. Crusta remota cutis recenter formatā, rubore, laevitate ac sensibilitate excellens in conspectum venit. Interdum, postquam vesicae apertae sunt, ulcera remanent mox partes vicinas corripientia. Erys. bullosum creberrime in facie observatur, et fere semper febris synochalis cum eo est juncta. Erysipelas oculi cum bullosum sit, in marginibus palpebrarum non consistit, sed supra earum conjunctivam extenditur, et mox sequitur chemosis, conjunctiva a sclerotica subjacente sejungitur, et forma tumoris longi, vesiciformis, modice rubri inter palpebras tumefactas prominet. Oculus sanus per consensum quoque afficitur, neque raro tumor supra palpebras ejus se extendit.

3. Erys. gangraenosum, malignum, typhodes (Ignis St. Antonii). Sunt epidemiae erysipelatosae, ubi erysipelas ad gangraenam maxime inclinat; tales epidemiae in Gallia, a Sauvages 1716 Tolosae, a Guilelmo Sprengel in nosocomio male instructo observatae sunt. Febris cum eo conjuncta jam primo in stadio est typhodes, atque exanthema ex initio jam ad gangraenescentiam tendit. Quae species erysipelatis in facie, humeris, brachio, collo, scroto apparet. Horis nonnullis post exanthematis eruptionem praeterlapsis tumor magnus existit, vehementes dolores, maculae lividae, saturatae. Motus partis affectae plane impeditus. Rubor jam intra 24 horas violaceus, plumbeus, e nigro fuscus evadere solet, vesicae gangraenosae magnae apparent marginibus incrassatis, et ichore tenui, acri, foetido imple-

tae. Gangraena partes propinquas mox corripit, quibus colliquescentibus postremo mors supervenit. Quae forma si in palpebris comparet, ulcera post dehiscentiam vesicarum gangraenosarum residentia magnam substantiae jacturam efficiunt, nec non palpebrarum ambitum mutant.

Denique aptus hic locus est erysipelas habituale vel chronicum commemorandi, quod sponte nascitur et uno eodemque loco semper cernitur. Interdum vel habitum induit periodicum.

Quod attinet ad febris vehementiam, febris aut erethica, aut synochalis, aut torpida erysipelas comitari potest. Si erethica febris adest, pulsus frequens quidem, at mollis, undulosus, stadium frigoris breve, sensus communis paululum modo affectus; post exanthematis eruptionem febris plane disparet.

In febri synochali pulsus frequens, durus, tensus, temperatura cutis valde aucta est. Urina sic dicta hepatica, ita tamen ut aliquantum ad colorem flammeum vergat. Sensus communis summopere affectus, caput obnebulatum, lingua sicca, magna sitis, secretiones et excretiones impeditae.

Ubi vero febris indolem ostentat torpidam, pulsus frequens, parvus, debilis, filiformis tangitur; magna artuum debilitas, lassitudo, haud raro animi deliquia. Symptomata inter se non respondent, immo contraria sunt, sitis nulla magna linguae siccitate; modo diarrhoea, modo alvi obstipatio pertinax adest.

Prognosis. In universum quidem bona statuenda est. Tamen pendet

1. a sede exanthematis. Erysipelata faciei majoris

sunt ponderis quam quae in aliis corporis partibus efflorescunt.

2. A decursu, qui quo magis est regularis, eo faustius signum exhibet.

3. A febris indole, inter quas erethica laetissimum indicat exitum, torpida vero pessimum denotat eventum.

4. Respiciendum est, locusne, cui inhaereat erysipelas, fixus sit nec ne. Quo magis tendit ad metastasin, eo infaustius est habendum.

5. Secundum virium conditionem morbi vehementia major minorve evadit.

6. Respiciendum quoque est, num aegrotus jam antea erysipelate laboraverit: tum enim saepe fit recidivum.

7. Denique exitus ratio est habenda, ad quem vergat exanthema. Inclinatio ad gangraenam malam condit prognosin.

Erysipelas s. d. criticum prognosin optimam praebet, cujus ortu alii gravioris momenti morbi evanescunt. Erys. habituale valetudinem aegroti relativam constituit, eatenusque pro symptomate prospero habendum est.

Curatio. Indicatio est triplex.

1) Indicatio febris 2) indicatio systematis portarum, 3) indicatio localis vel exanthematis.

1. Indicatio febris. Raro tantum magnaque cum cautione antiphlogosis gravior est adhibenda. Saepissime illa adeo nocet, quod evolutionem regularem erysipelatis praepedit, eumque habet effectum, ut exanthema in cute dispareat et ad organa interna transeat. Quare etiam remedia alvum solventia fortia initio nociva sunt, quod nimium humores a cute derivant, ejusque tollunt

energiam. Ceterum remedia usurpanda diversa sunt secundum febris indolem. Cum febris est modica, tum corporis quies, temperatura modica, parca diaeta et potus tepidus diaphoreticus sufficiunt: cremor tartari, limonata. Febri vero synochali, quod in erysipelate faciei et bulloso praecipue accidit, capite valde obnubilato, sanguinis ad caput congestione perforti, loco affecto valde dolente et tumente, venaesectio et sanguinis detractio localis instituendae sunt, ita tamen ut hirudines loco aliquantum ab erysipelate remoto applicentur. Nunquam magna sanguinis copia una venaesectione detrahatur. Interne decoctum rad. graminis cum nitro, et ubi alvi obstipatio magna adest, calomel porrigitur. Derivationi pediluvia calida inserviunt, sinapismi suris impositi etc. Diathesi inflammatoria sublata diaphoretica sunt adhibenda.

Quando febris torporis prae se fert indolem, tum medicamina excitantia et analeptica in usum sunt vocanda: infusum valerianae cum liquore ammonii acetici vel succinici, immo serpentaria et camphora.

2. Indicatio a systematis portarum affectione pendens. Plerumque turbationes in secretione bilis causam praebent erysipelatis. Quare emetica magno sunt emolumento. Tamen non semper sunt administranda, sed ad eos casus restringenda sunt, quibus saburrae adsunt in superiore tractus intestinalis parte, neque minus cum cutis actio et secernendi vis majorem in gradum incitandae sunt. Tum initio emeticum porrigitur e tartaro stibiato et ipecacuanha, quod, si necesse est, iterum adhibetur. Cum sordes vomitu evacuatae sunt, remedia modice alvum solventia, ut kali

tartaricum, tartarus depuratus, manna, senna, pulpa tamarindorum, pulpa prunorum in usum vocantur. Interdum vero alvum solventibus remedia resolventia praeferenda sunt, in polycholiam agentia, quare ipecacuanha refracta dosi, ammonium muriaticum, antimonialia, sapo medicatus, extractum graminis, taraxaci, chelidonii etc. praestant.

Si inclinatio ad diaphoresin apparet, vel si morbus suppressione exhalationis cutis ortus est, remedia mite diaphoretica: ammonium muriaticum, spiritus mindereri, vinum stibiatum, tartarus stibiatus refracta dosi, infusum florum tiliae, herbae melissae, sambuci impendenda sunt. Ubi simul cum symptomatibus gastricis congestiones caput versus, ejus obnubilatio et febris vasorum vehemens adsunt, ante emeticorum usum vena secanda erit.

3. Indicatio localis ejusmodi est, ut remotis noxiis quibuscunque influentiis, exanthematis in cute eruptioni summopere faveamus. Remedia humida et frigida, calida, pinguia et exsiccantia, imprimis plumbi praeparata omnino nocent. Aegroti lectulum servent eademque in temperatura versentur necesse est; locus affectus sacculis furfure vel farina impletis, farina fabarum, panno laneo tenuiore, stupa, pelle cuniculorum, felium et cygnorum obtegendus est. Quorum usus nec in stadio desquamationis intermittendus est, quo finito tantum morbi finem adesse existimare nobis licet, eoque magis in hoc stadio animadvertamus necesse est, quo majus metastasis periculum immineat.

Modificationes in curatione. Erysipelas bullosum, imprimis si characterem magis asthenicum ostentat, caloris humidi postulat usum. Rustius hunc ad

finem aquam Goulardii commendat, cui tincturae opii crocatae aliquantulum addit. Secundum Schoenlein ad tollendam tensionem et ardorem bullarum punctiones acu instituuntur; sed ne partes effectae incitentur, contentum effluens linteo carpto resorbendum est.

In erysip. palpebrarum ab initio sacculi furfure repleti, oculum nimis incitantes, ipsi nocent. Obtegas tantum oculum linteo compresso, quo eum tueare contra mutationes atmosphaerae. Charactere magis torpido compressa calore sicco impraegnari possunt. Tum demum, quando inflammatio in stadio decrescentiae est, imprimis in desquamationis stadio calor aromaticus localiter adhibitus usum fert, ut cutis actio augeatur et desquamatio efficiatur completa; tumor oedematosus impediatur palpebrarum atque recidiva. Quem ad finem sacculi herbis aromaticis referti vel potius lobuli camphorati adhibeantur. Si in erysipelate bulloso conjunctiva simul correpta est, scarificatione utaris, ulcera cutanea post bullarum dehiscentiam unguento cerussae sunt obducenda, ita tamen ut lobuli, quibus illitum est unguentum, non magis extendantur, quam ulceris fundus.

Propriam erysipelas gangraenosum curationem sibi postulat, quod ignis Sti Antonii nominatur et febri constipatur typhosa. Raro tantum hoc in casu antiphlogistica erit utendum methodo. Plerumque ab initio antisepticorum et excitantium est indicatio; interne adhibeantur cortex peruvianus, radix angelicae, serpentariae vinum, serum lactis vinosum, camphora, moschus. Secundum P. Frank succus papaveris somniferi effectum mirum exserit. Loco affecto inspergantur cortex chinae, quercus, praeterea camphora, myrrha, carbo, flores cha-

momillae, terebinthina, vinum camphoratum, acetum ligni, epithemata cum herbis aromaticis; ut partes mortificatae removeantur, superficies exulcerata mundetur, ejusque vis productiva augeatur. Hisce cum remediis diaeta nutriens et praecipue aër purus conjungenda sunt.

Indicatio exitus. Quando febri et rubore maxima ex parte remotis tumescentia oedematosa, decolor remanet, sacculi herbis impleti camphora illinantur, vel obtegatur tumor linteo cerato viridi, vel herbae aromaticae, menta piperita, melissa, flores chamomillae vel sambuci cum camphora pulvillis inclusae imponantur, aut compressio mitis adhibeatur.

Si in ulcerationem transit erysipelas: ichor diligenter removeatur, ulcusque secundum febris indolem tractetur.

Si in gangraenam exit morbus, methodus contra gangraenam usitata externe et interne advocetur.

Ubi refrigeratione aut curatione inepta erysipelas in cute disparuit, summopere nitendum est, ut iterum loco primum affecto provocetur. Fere semper symptomata congestionis vel inflammationis, quae in organo metastasi correpto apparent, venaesectionem exhibent, neque in pulsu solo quaerendum est, utrum instituatur, nec ne, cum saepe parvus sit atque contractus, ut persaepe in inflammationibus internis accidit, et post venaesectionem et major et plenior fiat.

Immo venaesectio saepe eo magis est necessaria, quo pulsus est minor. Conditio universalis, temperatura corporis adaucta, angor aegroti, respiratio accelerata, virium conditio spectari debent, cum de venaesectione sit sermo. Neque minus emeticum saepe est efficax ad

exanthema primo loco restituendum. Sin minus, tum nervina et diaphoretica fortia indicata sunt, camphora cum nitro, moschus (gr. 10—12), liquor cornu cervi, vinum, balnea, tum praecipue, cum vires celeriter decrescant, extremitates frigidae, pulsus parvus tangantur. Loco erysipelatis sinapismus aqua praeparatus imponatur, tinctura cantharidum illinatur, aut radix armoraciae trita, rad. zingiberis contusa, supra quam spiritus vini ustus est, quod efficacissimum est rubefaciens, loco affecto applicentur. Cantharidum effectus nimis est tardus, quare tum demum in usum vocantur, cum alia remedia nihil profuerunt. Tamen raro nobis contingit exanthema primo loco restituere, aegrotique vitam conservare.

II. PSEUDOERYSIPELAS.

Pseudoerysipelas est cutis inflammatio fixa cum rubore exiguo, sub tactu digitorum quidem evanescente, digito remoto autem redeunte, cum levi cutis tumescentia, doloribus urentibus, titillantibus. Quae inflammatio per se nunquam in ulcerationem transit, unaquaque cutis irritatione fortiore provocari potest, et sive superficialis est, sive profundius corium et telam cellulosam subcutaneam corripit, erythematis indolem exuit et verae phlegmones characterem assumit. At variae illae formae solo usu et auxilio vesicantium producuntur, cuti per longum aut breve temporis spatium impositorum. Tum erythema, illa vi adhibita, aut mox oritur (erythema idiopathicum) aut malum aliud provocatum sequitur (erythema symptomaticum). Quae cum ita sint, accurate distinguimus:

I. Pseudoerysipelas idiopathicum (Rust), erythema

idiopathicum (Kluge) sequela irritamenti cutis externi, e. g. frigore, ustione, frictione, vulneratione minoris gradus, insectorum ictu, succo toxicodendri, applicatione sinapismi, armoraciae, unguentis et emplastris irritantibus, cantharidibus, cortice mezerei, alcalibus, acidis, remediis acribus, insolatione, pressione continua in equitando, cubitu, fasciis etc.

II. Pseudoerysipelas symptomaticum s. consensuale (Rust), eryth. sympt. s. consens. (Kluge), reflexus alius morbi partium a cute magis remotarum. Malum erythema efficiens esse potest aut

1) tensio partium fibrosarum, in specie aponeuroseon aut inflammatoria aut serosa, quae quo est major minorve, eo majorem minoremve erythematis gradum efficere potest, ita ut interdum, in oedemate, in capitis laesionibus, in panaritio magnam occupet superficiem. Praecipue hoc erythema consensuale majore gradu sequitur inflammationem partium aponeuroticarum et tendinosarum, quae cuti viciniores sunt, paucisque modo musculis obteguntur, quamvis omnes partes sub cute positae, a tela cellulosa subcutanea ad tunicam medullarem Blumenbachii usque, ansam praebere possint huic pseudoerysipelati, cum aliquo morbo affectae sint.

Observamus igitur pseudoerys. in inflammationibus fasciarum tendinosarum (fasciae latae, vaginae cruris et cubiti), musculorum, tendinum eorumque vaginarum, telae cellulosae interstitialis, ligamentorum, periostei, ossium et telae medullaris. Neque minus corpora aliena, ut globi, fragmenta ossium cariosa, abscessus congestivi erysipelas consensuale proferre valent. Denique unusquisque abscessus, priusquam aperiatur, symptomata

pseudoerysipelatis in superficie cutis pure irritatae et tensae producit.

2) Massae metastasi in tela cellulosa, periosteo et glandulis depositae, in morbis gastricis, rheumaticis, arthriticis, puerperalibus. Qui processus valde periculosus hisce morbis provocatus aut acutum aut chronicum observat decursum, et secundum Kluge (1) duplicis indolis esse potest:

a. Massae enim depositae liquidae sunt. Partes organicae correptae tum cohaesionem amittunt, et mox mortificatae processui gangraenoso succumbunt. Saepe post nonnullas modo horas in parte adhuc sana (saepissime in femore, in crure, praesertim lateris dextri apud viros aetatis provectioris) videmus ruborem consensualem cutis, una cum tensione et fluctuatione partium infra sitarum. Incisione instituta abscessus metastatici ichore impleti, tela cellulosa majore in ambitu mortificata apparet, et periosteo simul affecto os ipsum denudatum oculis se praebet. Tamen multo saepius decursus non tam celer est, sed ante dolorem localem et ruborem febris paroxysmi saepius redeuntes animadvertuntur, qui ob frigoris stadium nunquam deficiens febribus intermittentibus non dissimiles sunt. Mox autem febris continua fit, et dolor, color rosaceus et tumor oedematosus loci affecti superveniunt. Aucta febris vehementia simul cum alvi et urinae secretione suppressa, appetitu deficiente insomniaque, tumor fit durior, cutis splendida, rubrior, livida, vesiculis parvis obtecta, telaque cellulosa subcutanea durior et densior apparet. Aegroti hocce

---

(1) Kluge in Rust's Magazin. Bd. 8. S. 525, 26.

in tempore animus valde turbatus est. Cum hocce morbi stadio incisiones cutis ad telam cellulosam usque instituuntur, puris parva copia, sed magna liquidi albidi, albuminosi quantitas effluit; paucos post dies puris copia major, sed liquidi tenuis minor; posthac iterum pus gradu minore apparet, nunc vero ex factis incisionibus massa lardosa, albida prorumpit, telaeque cellulosae magni lobi mortificati inveniuntur. Vesiculae locum affectum occupantes dehiscunt, et liquidum ichorosum emittunt, cutis pluribus in locis colorem induit plumbeum, atrum, gangraenosa fit, a partibus subjacentibus dissolvitur, tela cellulosa interstitialis plane est corrupta, suppuratio universalis, copiosa partis affectae supervenit, quam virium consumtio, sudor colliquativus, diarrhoea, denique mors sequitur. Rarioribus in casibus gangraena consistit, processus exulcerationis minuitur, aegroti vires paullatim crescunt, regenerationis vis augetur, et tela cellulosa necrotica vi naturae plane remota, granulatione et telae cellulosae formatione paullatim cicatrisatio et sanatio completa exsistunt.

b. Aut massae sunt solidae, quae in substantia telarum deponuntur, ita ut intumescat, et indurescat, simulque functio ejus vitalis tollatur, quam degenerationem post longum temporis spatium, saepe post hebdomades multas praeterlapsas effectam, cutis rubor consensualis comitatur, cum duritie aliquantulum dolorifica, late extensa in partibus profundioribus conjunctus. Exitus hujus formae, quam Kluge saepe in scroto, Chelius in brachio et antibrachio observarunt duplex est:

α) Rarius aucta partium vi vitali massae depositae resorbentur, quare resolutio fit, quae rubore paullatim

simul cum duritie et tumore evanescentibus sese manifestat.

β) Multo saepius vis vitalis adhuc remanens plane exstinguitur, unde via modo alia et longiore mortificatio jam supra commemorata sequitur. Simul tumor adhuc durus mollior fit, fluctuans, partis ambitus crescit, denique mors intrat localis.

Diagnosis. Ruboris extensio et directio, dolor, examen digitis admotis institutum et alia simul cum anamnesi ad diagnosin stabiliendam valent, ita ut pseudoerys. symptomaticum ab idiopathico distinguere queas. Rubor in pseudoerys. sympt. non tam distinctus est, sed singulis in locis magis saturatus, aut violaceus apparet. Pars affecta minus est calida, saepius mollior, interdum dura et nodosa, neque raro a morbi initio fluctuans tangenda est. Aegrotus de dolore magis lancinante, pulsante, in profundo haerente, et majore, quam ex inflammationis gradu exspectari possit, queritur. Tumor doloris vehementiae plane respondet. Haud raro accidit, ut dolor et degeneratio nodosa cutis inflammationi ejus praecedant, quae cum orta est, magis magisque sese extendit, aut deserens locum primo affectum, alium corripit et ad partes propinquas serpit. Remedia resolventia vulgo usitata raro tantum auxilium ferunt; inflammatio fit chronica, et nemine suspicante partes singulae fluctuantes ac mox gangraenosae reperiuntur. Ceterum jam morbo ineunte omnia momenta causalia externa desunt, quae cutis inflammationem provocare valeant. Eodem modo omnia symptomata erysipelatis exanthematici desiderantur, quocum noster morbus commutari possit.

Aetiologia. Causa remota jam in singulis spe-

ciebus commemorata est. Causa proxima morbi pseudoerysipelas symptomaticum producentis degeneratio et vera necrosis telae cellulosae haberi debet, majoris minorisve gradus, interdum totam extremitatem occupans.

Quam efficiatur causa, nondum satis patet. Quibusdam in hominibus propria huic morbo dispositio esse videtur, cum saepius et causa quidem levissima ab eo corripiantur. Aëris constitutio, tempestatum anni et temperaturae mutatio momenti summi esse videntur, quare et hieme et inter populi partem pauperiorem, quae tempestati magis exposita est, frequentius observatur morbus. Saepissime homines aetatis provectioris et sexus virilis huic malo succumbunt, sed et foeminae et juniores ab eo invaduntur. In senibus Rust persaepe morbum summum vehementiae gradum assecutum, cum febri nervosa et typhosa conjunctam vidit. Idem Rust erysipelas neonatorum morbo modo descripto adnumerat; plerique tamen auctores erysipelas neonatorum verum et spurium distinguunt.

Prognosis. Statuenda est secundum causam et gradum morbi, secundum aegroti constitutionem et aetatem. In hominibus junioribus et fortioribus, cum praeterea telae cellulosae degeneratio finibus contineatur angustis, prognosis faustior facienda est. Mala est habenda, ubi vires jam exhaustae et dyscrasia quaedam morbi incremento favent. Cum pseudoerys. consensuale ex tensione aponeuroseon, periostei evasit, prognosis melior exsistit, quam metastasi praegressa. Morbo vero cum erysipelate vero commutato et curatione inepta instituta damnum summum paratur.

Cura pseudoerysipelatis.

1. In erythemate idiopathico inflammationis gradus respiciendus est. Ad minuendam irritationem remedia frigida, humida loco affecto imponenda, interdum detractio sanguinis per hirudines instituenda est. Raro tantum cura antiphlogistica universalis in usum vocanda cum febris inflammatoria accessit, ubi interne nitrum, salia media, temperatura modica, reliqua adhibenda sunt, quae in febribus inflammatoriis prosunt. Ubi dolores vehementes, magnaque irritatio adest, opium, pulvis Doveri, hyoscyamus indicata sunt. Saepissime epithemata frigida ex aqua, aqua saturnina, aceto parata, et per longius tempus imposita resolutionem efficere valent. Ex remediis inter vulgum usitatissimis, quae solo frigore efficacia sunt, terram humidam (praecipue contra insectorum ictus), tubera solani tuberosi trita, daucum carotam tritum, corticem sambuci epidermide denudatum, folia recentia plantaginis, vitis, petroselini commemoraverim.

Contra apium ictus mel recens imponendum suadent.

Adversus faciei insolationem in Helvetia cremor lactis recens magno cum successu adhibetur. Cum insolatio totum occupet corpus, balnea frigida optimum sunt remedium. Causa erythematis, e. g. spina, aculeus, unguenta irritantia, accurate semper removeatur, priusquam remedia apta impendantur.

2. In erythemate symptomatico tensione aponeurotica effecto, incisiones aponeuroseon sunt instituendae; balnea, inunctiones mercuriales, cataplasmata adhibenda. Saepe his remediis detractio sanguinis localis per hiru-

dines, quae, si necesse est, iterum instituatur, interdum venaesectio, epithemata frigida ex glacie, aqua saturnina praemittenda sunt. Experientia nos docet, in inflammationibus cutis et aponeuroseos largas unguenti cinerei inunctiones et fomentationes calidas aromaticas et cataplasmata supra imposita optimum esse remedium ad efficiendam resolutionem et gangraenam prohibendam.

3. In pseudoerysipelate symptomatico post metastasin principio derivantia drastica, praecipue remedia laxantia mercurialia, deinde ad resolutionem efficiendam inunctiones mercuriales, quas Rust remedium princeps habet, et fomentationes calidae, aromaticae indicata sunt. Quando morbus adhuc mere inflammatorius est, venaesectiones, hirudines, epithemata frigida aquae saturninae praemittas.

Si status adest gastricus lingua obtecta, nausea, vomituritiones, tum initio emeticum porrigatur, cujus usu omnino decursus morbi valde mitior redditur. Ubi vero mortificatio telae cellulosae locum jam habet, tum ea cutis pars, quae praecipue decolor et fluctuans est, aperiatur et digito immisso per bisturi fibulatum, incisiones permagnae, ubicunque tela cellulosa corrupta est, faciendae sunt, ut ichor et massae mortificatae ex organismo removeantur. Neque raro accidit, ut incisiones supra totam extremitatem extendantur, a calce ad regionem lumbalem usque, atque tela cellulosa necrotica longitudine ulnae extrahatur: attamen sanatio tum demum effici potest, cum massae degeneratae omnino remotae sunt.

Memoratu dignum est, saepe incisionibus factis,

partibus necroticis remotis ichoreque evacuato, sub ipsa operatione pseudoerysipelas disparere, cutemque in statum normalem reverti. Aliud quoque phaenomenon non minus memorabile observatur, scilicet in pseudoerysipelate incisiones instituere possumus, neque haemorrhagia est timenda, quamvis iis partibus fiat, quas ob venas cutaneas ibi collocatas sine sanguinis magna jactura incidere nequimus. Cum in singulis locis partis affectae iterum apparet erysipelas, concludere licet morbum in aliam directionem sese extendere, et novae incisiones faciendae sunt, quod quotidie repetitur, ita ut morbi sedes plane detegatur, et remediis efficacibus subjiciatur. Tum vires collapsae corroborentur, naturaque in removendis partibus mortificatis, et in suppuratione bona efficienda juvetur remediis roborantibus, nutrientibus, amaris, amaro-aromaticis, herba taraxaci, millefolii, radice calami aromatici, gentianae, cortice chinae, camphora, myrrha, terebinthina, aceto ligni, carbone, floribus chamomillae, spiritu camphorato, epithematibus vinosis, aromaticis. Secundum Chelium hac cura irritatio augetur et destructio nec non ulceratio partium acceleratur, quare cataplasmata humida et calida una cum cura interna viribus respondente praefert.

Remedia in usum vocanda secundum indolem et irritabilitatem partium eligenda sunt. Neque minus majoris minorisve corruptionis gradus, nec non aegroti virium ratio habenda est. Dum cutis et tela cellulosa subcutanea valde induratae sint, Chelius usu inunctionum mercurialium et balneorum ex hordeo tosto paratorum resolutionem completam effecit. Secundum Rustii experientiam haec formula

Rp. Inf. flor. chamom. (ex ℥i)
℔ i
Aceti saturn. ʒi
tinct. opii ℥iii
M. DS. tepide imponend.

una cum sanguinis per hirudines detractionibus aptissimum est remedium, quo durities tollatur et resolutio efficiatur.

Praeterea causae nocivae tollantur necesse est. Aegrotus ex nosocomii aëre depravato removeatur, qui ad morbum gignendum multum valet. In aëre puro ille versetur ac diaeta nutriente et roborante fruatur.

LITERATURA.

Ploucquet, literatura medica digesta. Tubing. 1808.
Thomas Dale, de erysipelate.
Bateman, a pratical synopsis of cutaneous diseases, Ed. 3. p. 125.
T. Cooper, Handbuch d. Chir., a. d. Engl. v. Froriep. Weimar 1819.
J. N. Rust, d. pseudoerysipel. Magazin Bd. 8.
M. J. Chelius, Handb. d. Chir. 5 Aufl. 839.
G. G. Richter, de erysipelate. Gottg. 1744. 4.
Frid. Hoffmann, system. nat. Tom. II, p. 5.
C. W. Hufeland, über die Rose der neugebornen Kinder, in dessen Journ. d. prakt. Heilk. Bd 10, Stück 4.
Fleischs, Joergs, Henkes, Wendts Schriften über Kinderkrankheiten.
T. Heyfelder, Beobachtungen üb. d. Krankh. d. Neugebornen. Leipzig 1825.
C. Billard, die Krankh. der Neugebornen u. d. Säuglinge.

VITA.

Natus sum Salomon Samosch, veteri fidei addictus, Vratislaviae anno h. s. XVII. patre Lazaro, matre Sara e gente Valentin, quos Deus Maximus ut diu mihi incolumes servet, quotidie precor. Primis literarum elementis imbutus, ab anno h. s. trigesimo primo ad trigesimum octavum in gymnasio Vratislaviensi Fridericiano regio, nec non in Berolinensi Joachimico versatus sum, quorum alteri Kannegiesser rector praeest, alterum sub auspiciis viri doctissimi, humanissimi Meineke floret. Testimonio maturitatis instructus, anno h. s. trigesimo octavo almam literarum universitatem Vratislaviensem adii, et ab Ill. Abegg, t. t. rectore magnifico, civibus academicis adscriptus, apud Ill. Otto, tum decanum ordinis medici spectatissimum, nomen rite sum professus.

Ibi per septem semestria hisce interfui lectionibus: Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de instrumentis chirurgicis et fasciis rite applicandis. Interfui quoque operationibus et chirurgicis et ophthalmiatricis in cadaveribus rite instituendis, et examinatorio de gravioribus chirurgiae capitibus. Ill. Betschler de arte obstetricia, morbisque sexus sequioris, Ill. Braniss de logice, Cel. Burchard de operationibus obstetriciis in phantomate, Ill. Nees ab Esenbeck de botanice, Ill. Fischer de chemia generali et pharmaceutica, Ill. Glocker de mineralogia, Ill. Gravenhorst de zoologia, Ill. Goeppert de arte formulas medicas concinnandi, quo eodem duce excursionibus botanicis interfui, Ill. Henschel de encyclopaedia medica, Ill. Otto de anatome corporis humani, comparata et pathologica, historia foetus, et de sectionibus forensibus; Ill. Pohl de physice, de phaenomenis electro-ma-

gneticis, de theoria lucis et caloris; Ill. Purkinje de physiologia corporis humani, experimentis illustrata, de histologia, de pathologia generali, Ill. Remer de therapia generali et speciali, Ill. Thilo de psychologia, Ill. Wendt de materia medica universa, de morbis infantum et de fontibus et aquis medicatis.

In theatro anatomico et in clinicis duces mihi fuerunt: Ill. Otto, Ill. Benedict, Ill. Betschler et Ill. Remer; adjuverunt autem Cel. Burchard, Exp. Köhler, Menschig, Nega, Reymann, Wendt.

Anno h. s. XLI. hanc almam universitatem Berolinensem petii, ubi ab Ill. Dieterici, t. t. rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, apud Ill. Juengken, Decanum gratiosi ordinis medicorum spectatissimum, nomen dedi. Per semestre clinicis interfui Ill. Schoenlein et Ill. Juenghen.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis gratias ago quam possum maximas.

Tentaminibus vero et philosophico et medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES.

1. Erysipelatis natura non est inflammatoria.
2. Morbos psychicos sine organica aliqua labe nego.
3. Frigoris vis est roborans, non debilitans.
4. Sectio caesarea institui non potest, nisi matre concedente.
5. Spermatozoa non existunt.